



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Via Vitæ Operis Hvivs Hypothesis

Florentius <Batavus>

Antverpiae, 1551

Widmung

urn:nbn:de:hbz:466:1-30077

ORNATISSIMO SPECTA-
tissimoq; viro D. Theodorico Hezio pro-
fessore apostolico, collegij Leodiensis
apud S. Lambertum vicedecano, &
hæreticæ prauitatis inquisitori
Tacitus Nicolaus Zege-
rus minorita.

S.

N, prodit tandem in publicum Hezi exi-
mium canonicorum decus, via illa uitæ
tantoperè tuo calculo comprobata: ac
se se iam innumeris longè lateq; in uni-
uerso Christianorū orbe dispersis amplectendā cal-
candamq; præbet donata latinitati, quæ hætenus so-
lis patuit germanis inferioribus, utpote uno scripta
idiomate teutonico. Libellus sanè aureus, & omni-
bus Christianis ex mundana & scelerosa uita ad fra-
gem sese recipientibus uitæ melioris multo utilissi-
mus. Scriptus quidem est in primis ab ipso autore mo-
nasticæ militiæ candidatis, ac tyronibus: uerū ne ijs
seruiret solis, quoniam uia est uitæ nullis non expe-
tendæ & ambiendæ mortalibus, ita digestus est, ut ubi-
que ferè quod ad respicientium & incipientium at-
tinet gradum, nulli non seruiat hominum generi,
paucis aliquot exceptis capitibus in tractatu 3 & 4
quæ peculiariter monasticæ religionis tyronibus cō-
gruunt. Huius autem libelli excellentem eminentiam

A ij & utilitatē,

et utilitatem, quum primum te commendatore didi-
cisssem, eodem etiam hortatore atq; adeo impulsore,
non dubitavi ipsum in eum transfundere eloquij ama-
nem, qui utilitatem ipsius quam facillimè proferret
ad quam plurimos: et unde facile diriuari possit (si-
cuti id uehementer exoptas) in uarios alios lingua-
rum riuulos: certo persuasus tanti uiri utpote et
raræ cuiusdam pietatis, et singularis eruditionis
nomine apud omneis celebrati (ut cæteras si leã præ-
stantissimas tum dotes tum uirtutes) hac in re suffra-
gium atque consilium tale ac tantum esse ut merito
isthuc à nobis aut certè ab alio quopiã debuerit im-
petrare. Sed erit quod hic fortasse in nostra inter-
pretatione sis desideraturus, nimirum preces singu-
las singulis adiunctas capitibus in exemplaribus teu-
tonicis: quas propterea hic omittimus quòd hæc scri-
bamus non mulierculis, non rudi plebeculæ, sed uiris
et prouectioribus, eoq; ijs qui facillè ex quouis ar-
gumento scient sibi formare preces, quemadmo-
dum autor ipse, ex argumentis ipsorum capitum: ma-
ximè quum huius rei exempla aliquot demus, transla-
tis preces singulorum tractatuum postremis:
Deinde propterea preces ipsas omittendas duximus
quod speraremus tanto facilius citiusq; libellum ip-
sum per typographos in lucem emittendum, quanto
minus haberet ponderis. Sunt et alia nonnulla, in
quibus sicut nec nobis ipsis satisfecimus, ita fortas-
se et tuæ aliorumq; prudentiæ iudicabimur haud fe-
cisse satis.

cisse satis. Quorum unum hoc est quod adductae do-
ctorum auctoritates non ubiq; adscripserimus pro-
prijs ipsorum uerbis. Quod sanè ut præstaremus (si-
cuti id in nonnullis præstitimus locis eisq; non pau-
cis) quum non mediocrem adhiberemus diligentiam,
nihil arbitrabamur nobis magis cōmodaturum quā
consulta auctoris nostri antographa. Verum illa tan-
dem post frequentem ipsarum inquisitionē, post crea-
bram percontationem, deniq; post longam expectati-
onem suppeditata, nihil nobis hac in re contulerunt.
Alterum est quod in aliquot capitibus in fine tracta-
tus tertij, rursus in exordio tractatus quarti ea fe-
rè posuerimus quæ in schedis reperimus domini Flo-
rentij, ubi multis in locis non respondent latina teu-
tonicis. Verum infesta quædā & prolixa febris qua
cum id temporis ancipiti Marte depugnabam, quæ
ut corpusculum uel aliàs satis tenue atq; imbecillum
extenuabat, sic & animi uigorem alacritatemq; re-
tundebat: deinde etiam anhelum quoddam finiendi la-
boris desiderium, cōgebant nos aliquid subsidij pete-
re ex communicato nobis aceruo schedarum: in quo
tamen horrebant & squallebant omnia: sermo ipse
uarijs uitijs atq; obscuritatibus, scriptura deformati-
tate apicum eoq; difficultate legendi, schedæ confu-
sionibus & defectibus: sermo ipse teutonicus uarijs
hinc inde concisionibus & additionibus. Nos tamen
dictorum capitum sermonem & latiniores fecimus
& pleniores, multis ex editione ipsa uulgari passim
A iij admistis.

admistis. Quanquam contulit & in hoc nobis schedarum ipsarum copia, quod ex ipsis (quanquam non sine magnis molestijs) totum opus teutonicum reparauerimus, & aliquot etiam locis auxerimus, quum alioqui multis scateret mendis & incommodis, ut scilicet leamus interim errata librariorum. Sed ne prolixioribus quam par est tuam prudentiam remoremur, optamus hunc nostrum laborem tuo nomini (post Christum Dominum, cui nos totos debemus) dicatū hilari fronte excipias: cui haud dubie sentiemus fuisse non ingratum, si ita pergas commendare codicem latinum latinis, ut hactenus commendasti teutonicum teutonibus. Vale: ac me inutilem Christi seruum, tibiq; addictum amicum atq; clientem diuinae bonitati, optimis tuis precibus commenda. Ex asceterio nostro, apud Thebas,

A N N O
M. D. LI.